

Va
19



I, 42

42.



I, 42.



3.

DEO OPT. MAX. ADMINICULANTE!

De

**PRÆCIPUIS
VERI POLITICI
VIRTUTIBUS,
ET QUÆNAM EARUM SIT MAXIME
NECESSARIA?**

*Adolescentes nonnulli pii, modesti atq; indu-
strii, ex umbraculis Scholæ nostræ, in lucem A-
cademicam uberius cultus gratia se conferentes,*

Orationibus aliquot, pro ingenii sui captu
conscriptis, crastina luce, finitis sacris
pomeridianis disquirent;

*Quos
Ut*

PATRONI, FAUTORES

atq; AMICI benevoli, faventes atq; fre-
quentes audire dignentur

Submisse, officiose & peramanter

*Tertiâ hac de Albi dissertatiuncula
invitat*

**JONAS GELENIUS, CRUC. DRESD.
RECTOR,**

DRESDÆ,

Imprimebat JOHANNES RIDELIUS, Regis Poloniæ & Elect. Saxon.
Typographus Aulicus.

PRÆTORIUS

VERI POLITICI

VIRI POLITICI

ET QUÆMAM TANTUM

Abolentia

Gratioribus aliis

PATRONI PATRONES

etque AMICI

etque AMICI

etque AMICI

JONAS GILBERTUS

etque AMICI

etque AMICI

etque AMICI





Eminem in idem flumen bis descendere, Heraclitum Ephesium, cui tenebricosa dictionis mœstitudo *σκοτεινῆ* nomen peperit, Plato, *a)* Seneca, *b)* Sextus Empiricus, *c)* aliiq; dixisse memorant; cujus Saliaris dicti quæ vis sit atq;ve sententia, si cui Delio

a) in Cratylo. b) Epist. 58. conf. not. Lipsii. c) Ill. Hypothes.

urinatore opus fuerit, quod alias de scriptis Heracliti Socrates agebat, cum in Sapiente Romano loco jam adducto inveniet. Ast ego nihil moratus obscurum Philosophum, in Albim nostrum non secundo tantum, sed tertio etiam descendere sustinui; descensus & in posterum sapius, si fata voluerint propitia, fidemq;ve datam liberaturus, quam alioq;vi amicorum nonnulli requirere videbantur. Qui, si non ad constitutum nos solvere, opusq;ve nostrum non Celeres, quales olim Metelli, sed Lentulos experiri animadvertent, eos Catoniani illius meminisse velim. *οὐκ ἔστιν ἰσχυρὸν ἰσχυρῶν ἐπιβῆναι* *intervenire posse inter os atq; offam*, sapiusq;ve salubriter destinata potentiore fati vi discuti. *τοῖς φιλελέγχοις ἢ φιλομεμφέσι*, qui nostra hæc levia, neq; satis digna eruditorum judicabunt oculis, cum doctissimo noctium Atticarum scriptore respondeo. *Nihil tam remotum esse in literis, quin id complusculi sciant, & satis hoc blandum esse, non esse hæc neq; in scholis decantata, neq;ve in commentariis protrita.* *d)* Non omnes in famam scribimus, neq;ve enim omnes lentus ille infelicis ambitionis ignis excoquit, sed interdum nobis Musisq;ve nostris muginamur, aut, ut ille vult, musinamur, proq;ve copiolis nostris mœnia construimus. Verum illuc redeo. In nomen, patriam, ortumq;ve Albis nostri cum quæsierimus antea, de incrementis ejus si fuerimus in præsens solliciti, neminem sane, qui paulo est humanior, vitio id nobis daturum arbitramur. Quod itaq;ve jam laudatus Seneca alicubi scribit: *nulla non res principia sua magno gradu transit. Aspice Rhenum, aspice Euphratem, omnes deniq; inelytos amnes, quid sunt, si il-*

d) Gellius pref. Nob. Attic.





los illic, unde effluunt aestimes? quicquid est, quo timen-

e) Lib. III. de benef. c. 29.

tur, quo nominantur in processu paraverunt; e) id de Albi etiam nostro quam verissime dixeris, tenuissimis siquidem ortus initiis, multiplici rivorum, amnium, fluminumque illapsu, in eam tandem excrescit magnitudinem, ut Germaniæ, quid Germaniæ dico? imo totius Europæ, si non maximus, in maximis tamen numeretur fluminibus. Sed antequam in enumerandis potioribus fluviis, quos hic noster absorbet, atque in Oceanum secum devehit, occupor, de fonte ejus quædam adhuc, præter ea, quæ alio loco diximus, commemoranda veniunt. Quemadmodum ergo plerique nascentium fluviorum altissimis profunduntur montibus: ita Albim etiam nostrum mons Giganteus, inter Sudetum juga altissimus e finu suo protrudit. Equidem quo pacto aqua, elementum tam grave, ad altitudines montium enitatur, non nostrum est tantas Philosophorum

f) vid. Kircheri Mundus subterr. l. 5. Sect. I. Disqu. I. Varenij Geograph. General. lib. I. cap. 16. propos. 5. Becmanni. Hist. Geogr. Part. IV. c. 2. S. 1. 2. 3. Sperletæ Part. II. Physica nova Sect. 2. aliq. sine numero.

componere dividias: f) interea tamen cum id omnino fieri innumeris doceamur exemplis; insuper etiam quo paucioribus regiones nonnullæ asperantur montibus, eo minori fluviorum sint instructæ copia, quod exemplo Poloniæ & Americæ Septentrionalis probatum eunt Viri doctissimi, quid mirum si & Albis non in altissimis montium jugis cunabula sua repetat? Nimirum placuit divinæ Majestati pro inscrutabili & inenarrabili sapientia sua montes, præter reliqua ingentia, quæ Geocosmo huic præbent commoda, qualia sunt aquam intra sinus suos veluti repagulo quodam & obice coercere, globum hunc terraqueum tanquam ossibus quibusdam firmare, metallicorum corporum veluti quosdam promos esse atque condos, ut alias numero plures montium utilitates silentio præteream, placuit inquam divinæ Majestati montes in idipsum etiam extollere, ut mammarum instar, verba sunt sæpius laudati, nobisque nunquam satis laudandi Becmanni, irrigando Geocosmo inserviant, & dum superius terra eminent, inferius atque interioribus spatiosissima aquarum penuria contineant; g) quæ penuria obstupescendi ingenii vir

g) Histor. Geogr. c. 3. S. 2. 3. conf. Wülf. Orat. de Insulis p. 90.

Athanasius Kircherus, & ab eo recentiores Physici Hydrophylacia, apposito satis nomine appellitant. Talia Hydrophylacia Asiæ Kircherus ait esse montes Tartariæ, e quibus



bus Indus & Ganges in Indiam Orientalem, Croceus aliiq-
in Chinam defluunt. Hydrophylacia Africae constituit
montes Lunæ, e quibus duo vastæ magnitudinis flumina
Nilus & Niger prorumpunt. Americæ meridionalis Hydro-
phylacia Andes esse docet, his enim maxima totius orbis
flumina Rio de la Plata, & Rio de Amazonas ortum suum
debent. Atque ut tandem in Europam nostram pedem
referamus, ejus Hydrophylacia Alpes eorumque ramos,
quos vasto ambitu hinc & inde protendunt designat, inde
enim Danubius, Rhenus, Oenus, Lycus, Isera, Padus, Athe-
fis aliique fluvii protuberant. His merito addimus hor-
renda Carpathi juga, e quibus Vistula, Tibiscus, Marisus,
Vagus, Granus descendunt: & tandem vicinos nobis Su-
detes, quos Dio Alpes Vandalicas nuncupat, ut qui præter
Albis nostri, Hydrophylacia Oderæ, Oppæ, Nissi, Quissi,
Spreæ continent, qui omnes, si Spream seu Svevum exci-
pias, qui per Havelam Albi nostro infunditur, in Odera
seu Viadro cursum nomenque suum amittunt. Odera au-
tem non ad Lubekam, ut doctissimus Vir memoria lapsus
est, sed infra Sedinum in mare Balthicum evolvitur. Itaque
ut jam diximus, e Gigantei montis radicibus Albi noster
profunditur, sed memorando plane præ multis aliis Humi-
nibus exemplo, quod etiam fide atque verbis Friderici Bec-
manni lectori benigno admetiri lubet, ita autem ille in O-
ratione sua de monte Giganteo: *Sed novum adhuc natu-
ræ miraculum in hac Hydrophylaciorum materia nobis spe-
ctandum venit. Non ignorata est oculorum seu phiala-
rum Jordanis historia in Palestina scriptoribus quamq-
suo tempore jam attigit accuratissimus rerum Judaica-
rum scriptor Flavius Josephus. Phialæ hæc seu oculi lacus
sunt, ipsi Jordanis fonti aquam atque originem submini-
strantes. Sic Nili quoque oculos seu Phialas tanquam hy-
drophylacia fontium describunt qui post annum M DC
XVIII. fontes Nili detectos descripsere. Nam & hoc no-
mine seculum nostrum felix est, quod fontes hosce detectos
acceperit, qui nullis retro seculis, ne Alexandro quidem
magno & Julio Casari constare potuerunt. Ego itaque si
simili ratione phialas seu oculos fluviorum, & in specie*
ALBIS LACUS ISTOS DUOS in editiori montis



Gigantei parte conspicuos dixero, nihil absurdi me prola-
turum confido. Imprimis dum LACUS MAJOR æq̃
ac phiala Nili fundo caret, in signum hydrophylacii ex in-
timis terra visceribus ibi ebullientis, unde nec pisces in eo
videre est, & Perillustris Dominus horum tractuum, cum
cymba aliquando eum transire tentaret, a submersionis
periculo prope absuit. Hactenus laudatus Becmannus.
Atque rem ita omnino se habere testis est non de trivio Bo-
hullaus Balbinus: Omnium, inq̃uens, in Bohemia lacu-
um nobilissimi censerunt Sudetum montium lacus,
tum quod in summa montium altitudine consistant, tum
quod ALBIS aquarum apud nos regnator, ac ceteri mi-
nores fluvii ex iis nascantur ac profluant. h) His itaque
lacubus fons Albus profiliens Albim deinde nostrum in Bo-
hemiam effundit, qui compluribus assumtis rivulis primum
occasum versus iter ingreditur, verum post paulo in au-
strum viam reflectit, & ex summis montium devolutus jugis,
in vallem quam inde Elbgrund appellant, descendit, eamq̃
emensus, postquam plana Bohemiæ attigisset, in Septen-
trionem deinde cursu immutabili decurrit. Hinc non sine
gravi murmure, petris subtus horrente alveo, & spumanti-
bus fluctibus, angusta montium, qui nos a Bohemis di-
scriminant eluctatus, inque spatiosos Misniæ Saxoniamque
effusus campos, postquam innumeros fere in se ingurgi-
tasset rivos atque fluvios, vasto tandem ostio infra Ham-
burgum Oceano miscetur. Superesset jam agere de fluviiis,
quos Albis noster in Oceanum devehit: Sed cum lineo-
læ hæ nec opinanti sub manu creverint, revertimur ad O-
ratores nostros, seu Oraturientes potius, ut eos appellat Vir
quidam Amplissimus atque Consultissimus, & non minus
universæ elegantis doctrinæ, quam juris divini humanique
scientissimus, honorata insuper canitie venerabilis, qui quod
Acroamata hæc nostra Scholastica a multis retro annis, eti-
am foedisima aëris tempestate, & quod mireris præcipita-
ta jam ætate, ac ut ille ait tardigenulo senio, nullo eorum
neglecto, honorifica præsentia sua condecorare, iisdemque
lucem ac splendorem quendam conciliare dignatur, pieta-
tis fane & observantiæ nostræ esse existimavimus ei publi-
ce ea de causa grates persolvere maximas. Nulla certe un-
quam

b) Miscell.
Boh. Dec. I.
lib. 1. c. 56.
p. 129.



quam tam longinqua temporis interventura est diuturnitas, cujus injuria tantæ in studia nostra benevolentiae memoria in animis nostris exolescat; & si quid literulae nostrae potuerint, ibit in secula tanti beneficii decus, & ad laudem aeternaturam conservabitur. Sed, inquam, ad Oratores nostros revertimur, qui virtutes atque dotes veri Politici pro modulo ingenii sui delineandas sibi sumere. Et quidem

I. JOH. CHRISTLIEB DRECHSLER / Dresd. postquam in praefatione de Pseudopolicis quaedam monuisset, pietatemque fundamentum esse reliquarum virtutum omnium ostendisset, Dn. Auditores ad benigne auscultandum invitabit.

II. CHRISTIANUS RÖRNER / Cygneus, literas, easque non vulgares, primam Politici virtutem esse ostendet.

III. SAMUEL GOTTLIEB REINHOLD / Croppensis Misnicus, excellentem memoria vim praeceteris Politicum ornare affirmabit.

IV. GOTOFREDUS SAMAN / Roswinensis Misnicus, Eloquii virtutem primam necessariam esse contendet.

V. GOTOFREDUS BERBER / Cygneus, Prudentiam ante alias virtutes Politico convenire affirmabit.

VI. JOHANNES DANIEL KANISCH / Rabenavia Misnicus, pro taciturnitate depugnabit, & tandem

VII. GOTOFREDUS WERN / Limpachensis Misnicus, virtutes quidem istas atque dotes omnes commendatas esse debere Politico statuet, verum ipse primas vitae morumque integritati deferet.

Non ii sumus benigne Lector, qui Politicum nobis fingere sumamus, novimus enim architectonicam hanc disciplinam & artem regiam ad altiora pertinere subsellia; nec id sumus nescii, non tam in Scholarum exhedris, quam aularum & curiarum spatiis Politicos formari; sed cum complures e discipulis aliquas dicendi partes sibi dari expetivissent,



vissent, quærenda nobis fuit materies, quæ ubertate sua eorum desideria exhauriret, neque sic tamen, ita speramus, inutili opera: mature enim virtutum spargenda sunt semina, animiq; adolescentum ejuscemodi præceptis atq; exemplis, quæ ad civilem vitam olim recte instituendam pertinent, veluti gustu quodam a teneris imbuendi. Cæterum quum omnes hi, quos jam nominatim persecuti sumus, quibus socios se addent JOH. HENRICUS Böhme/ Cadizensis Misnicus, JOH. Frenzel/ Rauswizensis Misnicus, WOLF. JACOB. Peschel/ Ratisponensis, Lipsiam ad uberiores bonarum literarum mercatum a nobis profecturi sint, itaque eorum suoque etiam nomine elegantis ingenii, moribusque probissimis Adolescentens JOH. Koch/ Lips. PATRONIS atque PRÆCEPTORIBUS carmine Heroico, luculento sane, pro beneficiis maximis gratias debitas persolvat, atque vale faciat. Apopempticon *λόγον* metro elegiaco habebit JOH. GOTHFR. Kühn / Dresd. Nos ut abeuntes piis prosequimur omnibus, Spiritus S. gratiam omnemque *ευμερίαν* cum felicissimo in studiis Academicis progressu iisdem apprecati; ita Lectorem benevolum, qua fieri potest observantia rogamus, ut ad hunc benedictorio adesse, & dicentibus atque a nobis abeuntibus benignam operam navare dignetur: enitemur certe omnibus viriculis nostris, ne adversus tantam animi propensionem ingratorum crimine arguamur. P.P. in Elect. Dresda, d. 19. Maji, M DC XCIIX.



~~11~~
ca 19. 4°

ULB Halle 3
004 780 213



TA-70L

V517 m.e.







los illic, unde effluunt aestimes? quicquid est, quo timen-

e) Lib. III. tur, quo nominantur in processu paraverunt; e) id de de benef. c. 29.

Albi etiam no- dem ortus in numqve illap- ut Germaniæ, non maximus Sed anteqvam- noster absorb- por, de fonte co diximus, ergo pleriqve tur montibus inter Sudetun- dem quo pac- montium eni-

f) vid. Kircheri Mundus subterr. l. 5. Sect. I. Disqu. I. Varenij Geograph. General. lib. I. cap. 16. propos. 5. Becmanni Hist. Geogr. Part. IV. c. 2. §. 1. 2. 3. Sperletse Part. II. Physica nova Sect. 2. aliaq; sine numero.

g) Histor. Geogr. c. 3. §. 2. 3. conf. Wulf. Orat. de Insulis p. 90.

componere d- ri innumeris c- cioribus regio- nori fluvioru- niæ & Americ- nni, quid m- jugis cunabul- jestati pro inf- præter reliqua- moda, qualia- gulo quodar- queum tanq- rum corporu- ut alias num- eam, placuit- etiam extolle- laudati, nobis- gando Geoco- nent, inferiu-

ria continean- Athanasius K- phylacia, app-

drophylacia Asiæ Kircherus ait esse montes Tartariæ, e qui-



enuissimis siqui- mnum, flumi- magnitudinem, otius Europæ, si- etur fluminibus. luviis, quos hic a devehit, occu- ea, quæ alio lo- yemadmodum nis profundun- nons Giganteus, otrudit. Eqvi- ve, ad altitudines Philosophorum n id omnino fie- etiam quo pau- ontibus, eo mi- d exemplo Polo- eunt Viri doctis- ssimis montium acuit divinæ Ma- ntia sua montes, ic præbent com- ios veluti repa- um hunc terra- mare, metallico- se atqve condos, s silentio præter- ontes in idipsum erba sunt sæpius Becmanni, irri- verius terra emi- quarum penua- cendi ingenii vir Physici Hydro- Talia Hy- bus

